FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Franckesche Stiftungen zu Halle

M. Henric. Christian. Vhnii Gymn. Hal. Colleg. Observationes Nonnvllae Critico-Philologicae De Vvlgaribvs Græcorvm Accentibvs, Nec non De Apicibvs ...

Uhnius, Heinrich Christian

Halae Magdebvrgicae, [ca. 1717]

VD18 13122673-001

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-229399

Visual Library

M. HENRIC. CHRISTIAN. VHNII
Gymn. Hal. Colleg.

OBSERVATIONES NONNVLLAE CRITICO-PHILOLOGICAE De VVLGARIBVS GRÆCORVM ACCENTIBVS, Nec non DE APICIBVS

Puerilibus, quibus Grammatici Latinas dictiones e. g. caussâ, benè, doctè, tantùm circùm, fructûs & reliquas insigniunt, & a pueris sub pœna carceris insigniri iubent.

HALAE MAGDEBVRGICAE
Typis JOH. GRUNERI, Acad. Typogr.

§. I.

ACcentus, vt a descriptione initium faciamus, a vulgo Grammaticorum existimatur esse pronunciandi ratio in alleuandis & deprimendis syllabis. At vero paulo accuratior ea descriptio videtur, qua accentus in Graeca lingua dici potest Character, quo vocabulum alterum ab altero ratione significationis distinguitur, vti infra indicabitur.

§. II. Melius ergo pronunciatio ex Syllabarum quantitate, prout natura, & proprietas litterarum secundum metricam rationem postulat, formaretur, nisi ex superstitione, & nescio, qua singulari morositate pertinacium Grammaticorum placita, & auctoritatem deuenerari, quam sanae rationis dictamen, & ipsius linguae indolem sequi malle mus.

§. III. Valde enim mirum est, dum iam dudum viri vndecunque doctissimi accentuum Graecorum antiquitatem satis verisimiliter impugnarunt, & meliora, & vtiliora circa hanc rem docuerunt, quod nostrates his quisquiliis adeo delectentur, vt alios, qui contra haec linguae impedimenta agunt, eaque e medio tollere studeant, ineruditos proclament, & officio publico indignos iudicare non vereantur.

§. IV. Ratio, cur istae nugae, ex Grammaticorum cerebro prognatae, nostris in scholis retineantur, & obex ponatur, quo minus tirones hanc linguam, ea, qua par est, diligentia discant, aut discere velint, neutiquam sufficit, si inferatur: Hodie isti apices, qui accentuum nomine veniunt, in Graecorum libris vsurpantur; Ergo nemo græce doctus haberi potest, nisi sciolorum Grammaticorum de iisdem infinitas, easque vtplurimum absurdas regulas ad vnguem teneat, aut eorum vestigiis in scribendo insistat.

§. V. Equidem Graecos accentus, quos naturales vocare licet, & quibus pronunciandi modum direxerunt, habuisse non imus inficias; Eosdem autem eiusmodi apicibus (qui artificiales accentus dici possunt) dictiones onerasse, haud quaquam existimamus. Nulla enim lingua, quam diu nationi

est

est vernacula, habet, aut, si habet, frequentat accentus; Et ex historia Graecæ linguæ omnino constat, eiusmodi accentus non vna cum litteris, quas Graeci (vt & Latini & alii Europaei) a Phoenicibus habuere, repertos esse. Multo minus credendum esse arbitramur, Grammaticas, quamdiu Graeca lingua, vt vernacula floruit, scriptas fuisse. Hinc Isaac Vossius, egregius harum litterarum stator erudite infert: Quo lingua magis in vsu est, eo minus indiget praeceptis Grammaticis, aut aliud in scriptione additamentum (quo censu quoque accentus veniunt) habet. Ineptum simul esse patet, torquere alicuius linguae pronunciationem ad accentuum leges, inprimis cum nondum de eorundem scopo, & vero vsu constet,

§. VI. Cum ergo Graecorum accentus, artificiales scilicet, non ante inuenti sint, quam lingua ipsa sub regulas Grammaticas vocaretur, eorundem etiam scopus, & verus vsus ante introductas Grammaticas, tanquam res vana, inutilis, & inanis ignorabatur.

§. VII. Sed vt eo melius mens nostra percipiatur, operae pretium fore iudicamus, si pauciſſimis demonstretur rationibus, istos, de quibus nostri hodie tantas turbas, rixas, & contentiones excitant, accentus nunquam cum ipsius linguae origine extitisse; Tum eosdem longissimo tempore post a

Graecis Grammaticis, pro scholis tantum priuatis, ac ad quatuor vsus inuentos esse; Deinde hunc accentuandi (vt grammatice loquar) modum corruptelis magis magisque orientibus, & lingua Graeca, quod vernacula esse paulatim desinebat, in orbem terrarum dispersa, in scholas publicas vna cum Grammaticis praeceptionibus introductum, & subsecutis temporibus a nostratibus propagatum, variisque regulis, & absurdis opinionibus deprauatum esse.

§. VIII. Quod igitur ab initio veteres Graeci nullos apices, qui accentuum nomine feruntur, super dictionibus collocarint, luculentissime patet ex supra adducta veterum regula: Nulla lingua, quam diu nationi est vernacula, habet, aut, si habet, frequentat accentus. Quae regula sicuti solidissimo sanae rationis, & analogiae aliarum linguarum nititur fundamento, ita etiam eidem virtus probandae huius veritatis minime est detrahenda. Quemadmodum enim Germanis, Gallis, Italis, & aliis nationibus ad linguae suae vernaculae pronunciationem, quae solo vsu dirigitur, nullis est opus accentibus: Eodem modo quoque de Graecis statuendum est, vtpote quorum lingua vernacula istis apicibus, qui hodie vsurpantur, omnino carebat. Id quod deinceps ex silentio veterum, qui nullius accentus mentionem fuis

in

in scriptis fecerunt, manifestissimum est. Et testimonia, quae ex Aristotele, Theone Sophista, Quintiliano, A. Gellio, aliisque pro his defendendis adferri solent, contrarium potius confirmant, & nostras partes circa nullitatem accentuum egregie tuentur, vt alibi a nobis demonstratum est.

§. IX. Porro antiquior modus, & ratio scribendi eiusmodi accentus reiicit. Cum enim adhuc litterae maiusculae, & quadratae obtinerent, vocesque continuo ductu (e. g. ΟΤΑΙΣΟΙΧΩΡΑΖΙΝ) scriberentur, spatium, quod istae litterae occupabant, accentus capere nequibat; Nec eiusmodi apices ad litteras maioris figurae habebant proportionem. Quid? quod denique accentuum origo cum Graecis litteris primaeua existens ex antiquissimis monumentis, nummis puta aureis & argenteis, gemmis, lapidibus inscriptis, codicibus manuscriptis, instrumentis, & tabulis publicis neutiquam demonstrari potest. Et licet non nulla manuscripta, in quibus tales accentus deprehenduntur, alicubi conspiciantur, eorum tamen aetas, & antiquitas vix nongentos, vel mille annos attingit, id quod Beza, Scaliger, Isaac Vossius, Henninius, D. Maior, Morhofius, Daumius, & innumeri viri eruditione clarissimi satis superque exposuerunt, solidissimisque argumentis confirmarunt.

§. X. Hi igitur apices nihil aliud sunt, quam nouitium inuentum antiquitati prorsus ignotum. Henninius quippe, cuius iam mentionem fecimus, eruditissimo scripto, quod ἑλληνισμὸν ὀρθωδὸν inscribere amauit, §. 58-63. ostendit, probatque, accentus anno ante N. C. ducentesimo quinquagesimo inuentos post N. C. demum frequentatos fuisse. Graeci namque, cum fuerint studiorum acerrimi adsertores, & eruditionis nutritii, suam linguam longe lateque per Europam diffuderunt. Quocirca apud eosdem primi extitere Grammatici, qui omnia in auxilium vocabant, vt exteris Graecitatem facillimam redderent.

§. XI. Inprimis autem eruditio Graecanica post Athenienses ab Alexandrinis, qui primi accentus excogitarunt, exculta & propagata est; hoc tamen probe obseruato, quod eosdem tantum in scholis, quas habebant, priuatis, idque, inualescente nimium barbarie, ob quatuor praecipue vsus, & rationes adhibuerint. Et quidem primo vt voces ambiguas distinguerent, e. g, διὰ propter & δία Iouem; πατροκτόνος parricida, & πατρόκτονος a patre interfectus; θεοτόκος, Dei genetrix, & θεότοκος a Deo natus, πρωτοτόκος, quae primum peperit; & πρωτότοκος, primo genitus, & sic in aliis innumeris, vti Cyrilli, seu, vt alii volunt,

Phi-

Philoponi dictionum Collectio, quae accentu variant significationem, liquidissime testatur. Hinc non solum Elias Obrechtus, olim in Academia Suecorum Vpsaliensi bonarum litteratum professor, sed & Vir, dum viueret, elegantissimi ingenii, & omnigenae, praesertim Graecarum litterarum scientiae Christianus Daumius verissimis testimoniis probant, in quibusdam antiquioribus Manuscriptis primo tantum voces ambiguas, non autem promiscue omnes accentibus onustas fuisse.

§. XII. Quam ob caussam adhuc dum non nulla accentu plane carere dicuntur, e. g. ὁ, ἡ, οἱ, αἱ, ἃ, ἄχ, ἄκ, εἰ, ὡς, ὲν, εἰς, ἐς, ἐξ, &c. Etsi non negandum est, hoc quoque fieri ad differentiam aliarum dictionum, vti iam circa primum vsum annotauimus. Significat enim ὁ hic. ὅ, quod; ἡ haec, ἥ quae; οἱ, αἱ, hi, hae, οἵ, αἵ, qui, quae; ἃ, non, ἅ, cuius; εἰ, si, εἶ, es; ἐν, in, ἕν, vnum; εἰς ad, εἷς, vnus; ἐξ ex, ἕξ sex, & sic in reliquis. Interim tamen ex his, aliisque voculis ἀτόνοις colligitur, accentus non esse signa modulationis, cum sint voculae, quae modulationem, non accentum habent. Quo ipso luculenter apparet, modulationem non dependere a notulis istis, quas accentus dicunt, sed ab ipsa vocum natura, vti iam

ex secundo vsu, ad quem accentuandi ratio inuenta deprehenditur, clarius videbitur.

§. XIII. Ille erat, vt maxime in peregrinis, & plane a Graecismo abhorrentibus vocibus earundem indicarent pronunciationem, & ostenderent, qua ratione Syllabæ attollerentur, vel producerentur. Ceterum sicut Latini, qui ad amussim Græcorum προσωδίαν, & pronunciandi rationem semper imitati sunt, omnibus notulis seu accentibus posthabitis, secundum tempus, seu quantitatem, prout vocalium, Diphthongorum, & consonantium fert natura, pronunciant: Ita & ad eandem rationem Græcæ dictiones efferendæ veniunt. Id enim luce meridiana clarius ex metrica Græcorum scansione demonstrari potest. Nam si carmen secundum situm, & collocationem accentuum; non vero ad naturam litterarum & syllabarum, prout longae, vel breues, vel ancipites habentur, legeretur; Non solum carmen ipsum absurdum fieret, sed & omnis lepos, & sermonis elegantia euanesceret. Neque obstat, quod veteres Hellenes προσωδίας & τόνων mentionem fecerint: Hæ enim voces illis non hodiernos accentus notabant. Si autem in versu, & ligata oratione non secundum accentus super impositos pronunciari debet, quid quæso impedit, quo minus in prosa idem fiat?

§. XIV.

§. XIV. Accedit tertius vsus, ad quem eiusmodi signa, vel accentus excogitati, & circa tempora Ptolomæi Philopatoris, & Epiphanis annis fere CCL. ante N. C. (vti supra mentio facta est) in scholas priuatas introducti fuerunt, quo illi munere sensum suspendendi subinde fungerentur. Nam cum litteræ maioris & quadratæ figuræ adhuc obtinerent, & voces continuo ductu formatæ illis præcipue, quibus Græcanica lingua non amplius erat vernacula, & qui eandem linguam doceri incipiebant, varia obstacula obiicerent, Alexandrini, de quibus ante sermonem fecimus, Grammatici operam nauarunt, vt inuentis remediis difficultatem, si non omnem tollere, aliqua tamen ex parte leuare possent. Dum vero hodie loco litterarum maiorum minusculæ introductæ sunt, quibus hodie in Graiorum lingua vtimur, illa ratio accentuandi, tanquam res non amplioris vsus in desuetudinem abiit, nec satis demirari possumus, nostrates doctores vmbratiles de iis retinendis tanquam de vniuerso Turcarum imperio subiugando πυξ καὶ λαξ contendere.

§. XV. Ne denique vsum quartum silentio prætermittamus, ille fuit, vt isti apices, accentuum nomine insigniti, cantus moderarentur harmoniam. Notum enim ex historia

ria

ria omnibus esse debet, qui non prorsus litterarum Græcarum expertes existunt, Orphei, Homeri, & aliorum Poemata publicis in locis secundum accentuum collocationem decantata esse, veluti hoc ipsum accentus notæ adhuc dum ostendunt. Nam acutus (´) vocem adscendentem, & grauis (`) præ grauitate descendentem signat. Quando autem adscenditur acuto, & hinc tardiore, tremulaque voce descenditur in grauem fit flexio, seu Circumflexus (~). Vnde & hodiernis Græculis hæ accentuum figuræ musicas inter notas referuntur. Sed quis hodie talia carmina ad musicos concentus decantat? Semper ergo inter accentuationem, & modulationem distinguendum esse, veteremque Helleniſmum neque accentus, qui nunquam pronunciandi rationem, sed carminum melodiam direxerunt; neque vlla litterarum additamenta alia frequentasse, existimandum est.

§. XVI. Hæc quidem cuncta, quæ de quadruplici accentuum vsu diximus, donec intra NB. priuatos scholarum parietes a doctoribus Grammaticis Pergami, & Alexandriæ obseruabantur, excusatione digna haberi debent. Dum autem Græculi posteriores has accentuum notas publice, & vbique vsurpare incipiebant; lapsu temporum non solum verum accentuum vsum, & sedes,

des, sed & ipsam Græcam linguam ita deprauarunt, vt corruptelis linguæ a Iudæis Helleniſtis, Iurisconsultis Græcis, Arabibus per Græciam disperſis, aula imperatoria Byzantina, Clero sequiorum sæculorum, & populis peregrinis, ad quos Græca lingua deriuabatur, magis magisque auctis, variarum gentium βαρβαροφωνία in Helleniſmo deprehendatur.

§. XVII. Ea omnia licet noſtrates iam dudum aduerterint, ipſosque a ſanioribus, & eruditione præſtantioribus admonitos ingenue fateri oporteat, accentus, de quibus tanquam pro ara & focis decertant, nulli amplius vſui, quam differentiæ vocum indicandæ adhiberi posſe: Lucidiſſimo tamen ſole cæcutire, & alios lampada praeferre cupientes odiſſe pergunt. Quid? quod abſurdis ſuis nugis, & infinita regularum multitudine non tantum linguæ elegantiam multo adhuc peius corrumpunt; ſed & eos, qui deſiderio eam rite, & ſolide diſcendi tenentur, in errorum inextricabiles labyrinthos coniiciunt. Quin imo eos, qui meliora docti eiusmodi Palæmonum, aut Orbiliorum veſtigia ſequi recuſant, ludibrio aliis & contemtui exponunt, exagitant, Phantaſtarum nomine inſignunt, & muneribus publicis omnino indignos iudicant, vti me ipſum in exemplum ſubiicere poſ-

ſem

sem, nisi cum istiusmodi hominibus rem habere vererer, qui sunt ex illo genere, qui omnem liberalem doctrinam solo quæstu,& vulgi æstimatione metiuntur; aut ita sibi sunt suffeni, vt nihil rectum &eruditum putent, nisi, quod ipsorum moribus, præiudiciis, & opinionibus, ex intimo pædantismi fonte haustis, conuenire videatur. Interim, quoties tales fringillas suam cantilenam repetere audio, a risu vix temperare possum; Nisi enim hac, alia ratione istiusmodi ἀνταρέσας non possumus φιμᾶν.

§. XVIII. Quid quæso volunt sibi hæ quisquiliæ Grammaticorum nostratium? Cui inquam vsui est (vt vnicum saltem absurditatis exemplum in proscenium quasi producam) discrimen inter oxytonum & grauitonum? Dicunt enim, quoties grauitonum in fine periodi reperitur, toties grauem mutari in acutum, vnde resultet oxytonum secundum elegantissimam scilicet hanc regulam: In fine periodi loco grauis in vltima ponitur acutus proprius. An vocis differentia, an linguæ analogia, an metrum poëticum, an denique singularis emphasis hoc forsan postulat? Minime: Absurditas est; Et næ illum Polypodis stomachum habeat oportet, qui haec cruda fercula concoxisse valeat.

§. XIX.

§. XIX. Quæ porro est sententia illius Aoſculi: Grauis nullibi ſcribitur? Valde mirramur noſtros Cratetes nodum in ſcirpo quærere, & his nugis, maxima cum difficultate coniunctis, tædioſum in addiſcenda tam vtiliſſima, & alioquin facillima lingua tironibus obicem ponere. Aut enim grauis, ſi accentuum numero adiiciatur, ſcribi neceſſario debet; aut, niſi ſcribatur, idem nullus ſit accentus, qui tali nomine inſigniatur.

§. XX. Neque magis vllam rationem perſpicere poſſum, cur Grammaticarum compilatores de Coniugationum diuiſione admodum ſolliciti claſſem conſtituant verborum, quæ vocant Barytona, cum tamen Grauem non habeant, ſed vulgarem acutum. Magis arridet eorum ſententia, qui talia verba dicunt impura, quæ litteram Characteriſticam ante ω habent conſonantem, & ſic eo reſpectu verbis puris, quorum Characteriſtica vocalis, vel Diphthongus exiſtit, opponi poſſunt. Hac namque ratione diſcentibus maximum, præſertim in formatione temporum, obſtaculum remouetur. Sed hæc hactenus, & obiter, quæ in obſeruationibus ad Grammaticam Welleria-nam Critico Philologicis enucleatius deduximus.

§. XXI. Iam ad accentuum rationem reuertemur. Equidem illas notas, vel apices ſuper omnem

minbus hodie dictionibus conspicere est: sed hoc non scripturæ & libris, qui his quisquiliis oppleti sunt; At sciolis Grammaticis, qui illos introduxerunt, & pro semel introductis tanquam pro Troianis Penatibus dimicant, attribuendum est. Et quilibet meliores litteras doctus, si finem accentuationis Græcanicæ paulo curatius secum perpenderit, ingenue concedet, multas, easque vanas, & invtiles regulas (sicuti ad nauseam vsque repetiuimus) circa hanc doctrinam inuentas esse, quæ potius impedimento, quam subleuamento discentibus existunt.

§. XXII. Quare nostra quidem sententia non absurdum fore censemus, si, ne regularum mole tirones obruantur, in iisque desiderium huius linguæ addiscendæ plane extinguatur, in legendis & explicandis autoribus breuissime iis indicaretur: a) *Græcos* nullos ab initio habuisse accentus, sed a Grammaticis, cum iam flos Græcarum litterarum recidere, & variarum gentium corruptelis fœdari cœperit; b) *Tum* eosdem, non vt dirigerent rationem pronunciandi, sed ambiguas voces distinguerent; Voces peregrinas, & a Græcismo abhorrentes indicarent; sensum in vocibus olim continuo maiuscularum litterarum ductu scriptis

scriptis suspenderent; & tandem cantus harmoniam moderarentur, excogitatos, & frequentatos esse; c) *Deinde* vsum illum accentuum iam dudum desiisse, ideoque ipsos accentus abrogari posse: Aut, si hanc ob causam retinendos esse contenditur, quia hodie in Græcis libris habentur, non opus esse tot regulis & absurdis opinionibus demonstrandum est. Imo vnico verbo indicasse sufficit, Accentus Græcorum, si quidem non prorsus tollendos autument, nullum hodie munus obire, nisi vt voces ambiguas, & diuersum significandi earundem modum distinguant. Quod enim per paucas æternæ veritatis regulas, quas ex laudato Henninio sub finem communicabimus, sine omni temporis dispendio fieri potest, id per ambages, & ingentes regularum & opinionum amfractus nequaquam fieri debet; d) *Tandem* iunioribus, qui studio Græcæ linguæ trahuntur, subinde inculcandū esse arbitramur, quod ratio pronunciandi, & voces rite modulandi minime dependeat ex collocatione istius Characteris, quem accentum vocamus, sed ex tempore, & quantitate litterarum, quibus syllabæ constant, sicuti non solum ex metrica Græcorum scansione, nec non prosodia Latinorum, qui Græcos hac in re omnino imitantur; sed etiam ex analogia, & omnium linguarum collatione liquidissime apparet.

§. XXIII. Etsi autem accentus non nunquam syllabarum quantitatem indicare videntur, id (quod non semel innuimus) puerorum, & prosodiæ expertium ergo factum esse credendum est, quemadmodum in Latinis a quam plurimis Latinitatis corruptoribus simili modo fieri consueuit, quod autem Cellario, aliisque viris exasciati iudicii non sine firmissimis rationibus prorsus improbatur, quos merito sequamur.

§. XXIV. Idem, quod de accentibus tam Græcis, quam Latinis statuimus, de spiritibus quoque Græcorum intelligatur. Veluti enim illi vocibus apud priscos Hellenas olim non fuerunt adscripti: Ita hos apices, quos Spiritus vocant, nouitium inuentum, & antiquitati ignotum fuisse certissime colligitur. Nihil enim obstat, quod dicant, eiusmodi spiritus ad vocum differentiam significandam maximum momentum adferre: Quippe ista obiectio ex vnica hac obseruatione (quæ Gramm. Well. pag. 63. vel edit. nou. 65. extat) prorsus refellitur. Si enim spiritus, vt ibidem obseruatum est, sæpe inter se permutentur mutata, vel manente eadem significatione; finis etiam, vel scopus, cur spiritus super vocibus ponantur, in fumum abit. Quid? quod in allegata Grammatica insertum legitur: Lenis olim efferebatur; nunc inter pronunciandum plane negligitur.

ligitur. Si inter pronunciandum efferebant, quo sono, modo & indicio, & in quem finem id factum? Sin vero modus, sonus & finis ipse defit, & inter pronunciandum plane negligitur spiritus, qui lenis nomine appellatur; cur, cedo, iuuentutem his tricis, apinisque defatigamus. Sed plura, quam forte par est, de hac materia disseruimus. Hinc progrediemur ad illas æternæ veritatis regulas de vocum modulatione & pronunciatione, quas ex Henninio communicaturos supra recepimus.

§. XXV. Quemadmodum, inquit ille vir eruditissimus, lingua Latina insuper habitis accentibus pronunciatur secundum regulas æternae constantiæ; Ita & Græcismus susque deque habitis in pronunciando accentibus istis, de quibus adhuc sermonem fecimus, ad easdem æternæ veritatis regulas est modulandus, & quidem a) ob vtriusque analogiam b) ob Accentus ipsos, & eorundem distinctionem c) ob metra Græcorum Poëtica &c.

Reg. I.

Omnis vox monosyllaba modulationem habet in sua vocali, Φῶς, νᾶς, ἅλς. Sic móns, fóns, rós, nix,

Reg. II.

Omnis vox Dissyllaba modulationem habet in syllaba priori, λόγοι, ὄλοι, φῶνη, sic mónt-es fóntes níues &c.

Reg. III.

Omnis vox Polysyllaba penultimam longam modulatur e. g. ἄνθρωπος lege ἀνθρῶπος, τύπωμα, lege τυπῶμα sic Græcorum, iucunda &c.

NB. Apud Græcos η & ω item Diphthongi, & positio penultimam semper producunt, quia, sicut apud Latinos, etiam in aliis syllabis natura longæ sunt. ε & ο semper sunt breues, nisi positio interueniat. α, ι, υ, sequente simplici consonante ex Poëtis noscuntur.

Reg. IV.

Omnis vox Polysyllaba penultima breui modulatur ante penultimam, ἀλόγων lege ἄλογων Dóminus.

NB. 1. *Apud Latinos* penultima polysyllabæ vocis breuis intelligitur ex analogia deriuationum, vsu loquendi, & autoritate poëtarum.

2. Nulla lingua habet accentum, vel modulationem vltra tertiam syllabam a fine.

Appendicis loco denique sequitur SENTENTIA quorundam virorum, exactæ eruditionis laude clarissimorum, de puerilibus apicibus, virgulis, seu notis super dictionibus latinis scriptis.

IOS. SCALIGER, illustrissimum totius litterati orbis sidus omnes & singulos accentus,

tus, quibus Grammaticorum mancipia latinas voces insigniunt, prorsus tollendos statuit Epist. 279. & 357. &c. Cui illustri viro adstipulatur.

CHRISTIAN. DAVMIVS, quem viuam omnigenæ scientiæ Bibliothecam, & in fallibile eruditorum oraculum, exterorumque delicium Clariſſimus Hekelius dixit, epist. 20. ad eundem Hekel. ita scribens: Accentus falsos in atquè, vsquè studio sustuli; Distinguendum enim inter que encliticum & inter que terminale vocum. Quanquam omnem accentuandi rationem cum Scaligero insuper habere melius esset.

FRANCISCVS SANCTIVS in sua Minerua p. m. 411. de his apicibus ita differit Accentus mire distinguebat ambiguum. Nec hic loquor de NB. *ridiculis* illis sanè, palàm, porrò. Nam enim nec erant apud antiquos &c. Sed de aliis secretoribus, & qui nostras aures omnino fugiunt &c.

HENRICVS CHRISTIAN. HENNINIVS in elegantissima & eruditissima sua dissertatione, de qua supra mentionem fecimus §. CXXVI. p. 97. ita loquitur: Apud Grammaticos Latinos sequioris æui ea vox accentus *καταχρησικῶς* pro apicibus demum coepit vsurpari, qui declinante paulatim Latinitate a Grammaticis in subsidium facilitatis ergo sunt vocati.

Sed mirum in modum illa accentuum doctrina apud eos est confusa, sibique sæpissime contraria &c. Sic Terentianus Maurus vult distingui áret agrum; & āret herba. Sic Consentius, Aelius Donatus, Sergius, Marius Victorinus, Priscianus, Paulus, Festi decurtator, volunt vltimas syllabas ad differentiam similium vocabulorum virgula notari, seu, vt loquuntur Grammatici, accentuari. Sic doctè discernunt a Vocatiuo docte, Gratiâ a nominatiuo gratia; à & è præpositiones ab elementis vocalibus a & e; Sed acutissimi iudicii vir Quintilianus iam olim ineptissimum iudicauit eos apices vocibus apponere; Et tamen eas NB. ineptias hodie per consuetudinem abrepti plerique eruditi aut cæco impetu, aut dedita opera sequuntur. Vtique ridiculum est, apice ambiguitatem, quæ ex ipso contextu sermonis, & sequentibus patet, tollere.

Recte sane, Fabius istos apices accentus nomine non dignatur, sed ineptissimos iudicat. Qui enim vel a limine rudimenta latinitatis salutauit, poterit promte percipere in τῶ *exempli gratia* esse ablatiuum, & sic in reliquis omnibus. Qui plura de hac re desiderat, egregium libellum de Orthographia celeberrimi nostri Cellarii per legere ne grauetur.

Sane illi, qui in his, & similibus apices tales

Duty ἀπὸ, ἐκ, πρὸ zum andern casu sin,
zum vierdten εἰς, ἀνὰ zum 6ten ἐν und διὰ,
zu dem casus libet ὑπὸ, διὰ, κατὰ, μετὰ,
ἀμφὶ, περὶ, ἀντὶ, παρὰ, ἐπὶ, ὑπὸ, πρὸς.

tales, & quidem dedita opera ponunt, lectores credunt, aut expectant pueros, vel desipientes, quibus his notulis verum quasi huius, illiusue voculæ tonum, vel sensum ostendant. At vero apage istas quisquilias!

APPENDIX non nullarum Lucubrationum nostrarum, quæ prelum, & qui sumtus iisdem imprimendis impendant, expectant.

I. SYNTAGMA observationum Critico-Philologico-Theologicarum 1. *de Accentibus* Græcorum, quam iam speciminis loco præmisimus, 2. *de methodo* Græcam linguam addiscendi, 3. *de auctoribus* Græcis, ; 4. *de vocum* Græc. compositione; 5. *de decrementis* scholarum; 6. *de hæreticis*, & Pseudo prophetis 7. *de Comœdiis*, & Theatralibus seu histrionicis declamationibus in scholis minime tolerandis 8. de MVSICIS ECCLESIASTICIS, von denen heutigen Kirchen-Musicanten / und von dem Greuel / so GOtt an solchen habe. 9. DE λειτουργία Lutheranæ Ecclesiæ, & *Ceremoniis* sacris Dominicalibus peragendis adhiberi solitis. 10. *de æterno* Euangelio contra libellum Sieg-Volcks / 11. *de ignorantia* affectata diuinitus prohibita 12. de THEMATIBVS in scholis ad stilum exercendum proponendis. 13. *de ratione* rite, & prudenter excerpendi; 14. *de Lexico* elegantioris Latinitatis conscribendo, cui adiuncta est synoptica delineatio systematis stili vniuersi &c.

II.

II. NOTÆ Critico-Philologicæ in Græc. & Latinas Grammaticas Welleri, Schultzii, Schmidii, Cellarii, Langii &c

III. HISTORIA breuis librorum Symbolicorum Lutheranæ Ecclesiæ.

IV. METEORVM PHILOSOPHICVM NOVVM, quo breuissimis tabellis omnes, & singulæ fere disceptationes, quæ ad Philosophiam pertinere videntur, præsentantur, cui præmissa est RATIO rite philosophandi, & verus VSVS Logices.

V. SYLLABVS omnium vocum Græcarum Veteris Testamenti versionis LXX. viral. ordine alphabetico (sicut Pasoris Syllab. N. T.) digestus. NB. Libellus antea nondum editus, & iunioribus vtilissimus.

VI. Manuductio Poetica ad Scaligeri, Pontani, Fabricii & inprimis beati Christiani Daumii, nostri olim Præceptoris fidissimi, regulas fundamentales, cui subiuncta est solidior *variationis Poeticæ* ratio non vbiuis obuia iam laudatissimi eiusd. Daumii.

VII. VIRGILIVS REFORMATVS, siue *Aeneis Virgiliana*, a difficilioribus & nimis prolixis digressionibus, similitudinibus, & vanis, invtilibusque descriptionibus ita purgata, vt ordo, & textura historiæ, quam Poeta tractat, sarta & immutata maneat, & perpetua connexionum, quibus idem vsus est, ratione ad finem vsque continuetur. NB. Hic libellus, his obstaculis, quæ alioquin Poetam difficillimum intellectu reddunt, remotis, ita adornatus est, vt (sine Latinitatis, elegantiæ Poeticæ, verborum, & rerum minima iactura) summo cum oblectamento a quouis Latinitatis tirone legi, & intelligi queat.

De reliquis nostris lucubrationibus, ex quibus satis superque constat, nos vitam minime desidia & silentio transigere, alio tempore, aliaque occasione pluribus disseremus.

In Zoilos & Momos:

Non curat æqua mente præditus Cato,
Quæ vulgus ore mussitat.

78 G 3

Bibl. der Franckeschen Stiftungen Halle
Ha33$015878X

Franckesche Stiftungen zu Halle